DE

OMPRESSIONIS VI PHYSIO-
OGICA ET THERAPEUTICA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

RATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

IE XII. MENS. AUGUSTI A. MDCCCXLIII.

H. L. Q. S.

PALAM DEFENDET

AUCTOR

EDMUNDUS MOSER

BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

M. RIES, MED. ET CHIR. DR.
J. MEYER, MED. ET CHIR. DR.
L. POMTOW, STUD. PHILOS.

BEROLINI,

TYPIS FRIEDLAENDERIANIS.

VIRO

CELEBERRIMO, AMPLISSIMO, EXPERIENTISSIMO

I. L. Trüstedt,

EDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI P. E. IN NIVERSITATE LITTERARUM FRIDERICA GUILELMA, BORUSORUM REGI A CONSILIIS MEDICIS SUPREMIS INTIMIS, OLLEGII SUPREMI AD REGENDAS RES SACRAS, MEDICAS ET NSTITUTIONEM PUBLICAM, NEC NON COLLEGII EXAMINUM ABENDORUM SUPREMI SOCIO, INSTITUTI POLICLINICI DIECTORI, ORDINUM REGIORUM DE AQUILA RUBRA CUM EMNISCO IN CLASSE TERTIA ET CRUCE FERREA EQUITI, COMPLURIUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI

ETC. ETC.

VIRO

CLARISSIMO, DOCTISSIMO, EXPERIENTISSIMO

G. SIMON,

DOCTORI MEDICINAE ET CHIRURGIAE, MEDICO PRACTICO
ETC. ETC.

HASCE PAGELLAS

SUMMAE VENERATIONIS

TESTIMONIUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Quum usque ad hoc tempus inquisitiones de vi et effectu compressionis therapeutico et physiologico nondum finitae sint, neque multum tempus praeterlapsum sit, ex quo medici, qui in primoribus suae aetatis numerabantur, viri praeclarissimi Fricke et Récamier, uterque inquisitionibus et experientia confisus, contraria de compressionis usu et efficacia adhibitae in tumoribus et benignis et malignis enuntiarunt, mihi operae pretium visum est, de hujus medicamenti physiologica et therapeutica vi nonnulla proferre, cum modestia sperans fore, ut, etiamsi res tota non exhauriretur, tamen e studio ac labore meo nonnulla proficiscerentur, quae ad rectum compressionis usum et ad rectas indicationes ducerent.

Priusquam ad definiendam compressionis vim accedam, mihi liceat, historiam ejus, quantum quidem opus est ad demonstrandum modum, quo usque ad hoc tempus adhibita sit compressio, breviter enarrare.

Usus compressionis jam antiquus est. Etenim jam a scriptoribus Romanis nobis traditum, compressione medicos in morbis externis seu chirurgicis in sistendis haemorrhagiis usos esse. Et quidem usi sunt secundum testimonia scriptorum et Romanorum et Graecorum medici antiquitatis in pluribus morbis, quam nostrae aetatis. Cujus rei ea caussa est, quia nunc meliora et efficaciora auxilia possidemus ad eundem finem, quam compressionem. Itaque in amputationibus, quamquam rarissime propter metum haemorrhagiae exercebatur, compressio, qua medici antiqui sola usi sunt, a recentioribus quodammodo pro supplemento adhibetur. Tametsi in diversis temporibus hoc medicamentum ad implendas diversas indicationes adhibebatur, tamen recentiore tempore justo plus refutatum est. Nobis, qui munus vim compressio-

nis demonstrandi suscepimus, liceat effectum ejus primum in sanum corpus ostendere.

Effectus igitur compressionis valde differt pro quantitate et pro spatio temporis. Etenim si compressionem in partem corporis humani adhibes, primum cohaesio organorum compressibilium augetur, quae primo quidem solum mechanica est, quum vero compressio diutius admissa est, mutationes animadvertuntur, quae functionibus organorum ipsorum mutatis et reactione totius corporis ope systematis vasculosi oriuntur.

Quae mutationes variant pro tela primaria et functione physiologica organorum. Alterationes, quae cohaesione aucta efficiuntur, si generatim respicis, sunt hae: Sanguis impeditur, quominus e vasis capillaribus egrediatur, dum eodem tempore vetatur, novam illius copiam in ea intrare.

Itaque fit, ut, si materiae, quibus organum compressum ad nutritionem egeat, assimilatione disparuerint, nihil adsit, ex quo alimenta nova

parentur. Accedit, quod nervorum vis, quos ad assimilandas novas substantias maxime influere nemo negabit, compressione, ut ita dicam, paralysatur. Postquam compressio diutius permansit, inquisitionibus anatomicis edocti sumus, arterias, venas, vasa capillaria claudi, et difficile esse, in posterum functionem, ad quam prius vasa clausa sanguinem miserunt, restitui. Quas mutationes factas esse arguunt deminutio voluminis, siccitas et color mutatus organi affecti. Eodem tempore structuram parenchymatis animadvertimus aberrantem, neque raro videmus, organa nobiliora, ut musculos, reduci ad telam cellulosam. Neque solum illa organa, ad quae usu externo accedere possumus, proprio et certo quodam modo immutantur, sed etiam alia, in quae organon propinquum, quod induratione aut hypertrophia affectum est, pondere aucto premit, eandem mutationem patiuntur; sic renes, ut exemplo utar, in hypertrophia hepatis, quod nuperrime in obductione invenimus. Illa tela, ad quam omnia organa reduci possunt, tela cellulosa esse videtur, ita ut nutrimentum, aut si vis secretum organorum nobilio-

rum adspici possit. Quod ita esse, et chemiae et physiologiae legibus ostendi potest. Illa enim analysi edocuit, omnium organorum substantiam earundem atomorum eodem numero compositam esse; haec in corporibus animalium et in plantis metamorphosim singulorum organorum in alia, ut foliorum in petala, stamina, experimentis demonstravit. Liceat igitur contemplari mutationes, quas telae compressae patiantur. Tela cellulosa turgore et vapore seroso privatur: apparet rigidior et sicca, quo fit, ut fibrae singulae conjungantur in telam ligamentosam. Vasorum tunicam elasticam desiderari a nonnullis traditum est, quo facto tunica cellulosa lumen vasorum servare nequit. Itaque fit, ut vasa usque ad originem a proximo ramo vasculoso in telam ligamentosam reducantur.

De nervorum mutationibus, quae compressione efficiuntur, inquisitiones, quantum memini, nihil aperuerunt. Id solum hoc loco addere voluerim, Joannem Mueller, virum praeclarissimum, suspicatum esse, diametrum fibrarum primitivam deminui, quamobrem mensuras accuratiores ope

micrometri valde optat. Textura musculorum plane destruitur, uti jam supra diximus, et commutatur in telam sibi similem, qua adeps continetur. Restat, ut de vi compressionis in glandulas loquamur. Inquisitionibus ope microscopii institutis apparet, nihil aliud earum relinqui, quam telam cellulosam; acinorum, tubulorum, folliculorum, non raro fit, ut nullum vestigium inveniatur. Hi sunt effectus compressionis modice institutae. Verum etiam major apparet compressionis potestas, si tanta vi uteris, ut communicatio organi compressi cum cetero organismo plane dirimatur. Similis est conditio, tanquam si eandem partem ex societate reliqui corporis cultro amoveas. Privatum organum functionibus vitae sibi propriae et vegetativae et animalis, morte capitur, quacum una mutationes in eo existunt, quae legibus chemicis jussae ad structuram anatomicam pertinent. Phaenomena igitur, quorum vis compressionis in partibus corporis humani auctor est, eadem sunt natura; quorum complexus in pathologia definitionem atrophiae et gangraenae constituunt. Usque adhuc nondum tradidimus mutationes, quae in cu-

te et epidermide, si comprimitur, cernantur. Cujus rei caussa ea est, quod metamorphosis earum a mutationibus ceterorum organorum omninò differre videtur. Tantum enim abest, ut massam earum vi compressionis deminui videamus, ut crescere etiam videatur. Invenimus enim post usum compressionis lamellas epidermidis densiores, crassiores, plures factas, ita ut clivi quodammodo in superficie partis compressae appareant. Attamen hae mutationes inopinatae non impediunt, quominus compressionis vi atrophiam gigni putemus. Facile enim est ad demonstrandum, neque hypertrophiam, neque atrophiam epidermidis posse effici. Etenim epidermis nervis et vasis carens, propria indole neque gignitur, neque porro nutriri potest.

Necessarium igitur erit in ea organa accuratius inquirere, quae epidermidis processus vitalis auctores sint. Anatomia generalis et physiologia docuerunt, omnia organa ex cellulis oriri, quarum natura et indole ad mutationes posteras organismus componatar. Sic musculi formantur ex cellulis primitivis, quae in formam longitudinalem conversae, appositione fibrarum singularum conjunguntur.

Uti vero natura formas ceterarum telarum metamorphosi cellularum earumque contentorum producit, ita epidermis metamorphosi parietum certarum cellularum oritur. Dum enim parietes antea tenues, pellucidi apparuerant, ita ut ipso aquae impulsu diruantur, densiores jam fiunt, et pelluciditate carentes, neque est dubitandum, quin in crassitudinem crescant. Verisimile vero videtur, hanc metamorphosim parietum sumptibus contenti cellularum fluidi fieri, quia non ita multo post ejus vestigium nullum reperitur.

Quo facto efficitur, ut formatio nova melius viribus noxiis, quae extrinsecus imminent, obstare possit, neque chemica acidorum potestate et putredinis facile superetur. Ita fit ut crassitudo epidermidis in relatione certa quadam stet cum vi, cujus impetum sustinere debet.

Neque igitur amplius mirabile videbitur, si compressionis vi epidermidis crassitudinem auctam esse videamus. Id solum demonstrandum erit, qua via auctio ejus adveniat. Jam supra diximus organa nobiliora potentiis noxiis superata ad ignobiliora

reduci posse. Multis enim argumentis nobis persuadetur, in organismo ea sola organa inveniri, quae ad vitam agendam et ad utilitatem ejus natura jussam necessaria sint, qua destinatione arctioribus finibus inclusa, organa quasi superflua disparere, dum in alia vertantur. Ita reductione telae cellulosae epidermidis nutritio augetur. Duo exempla afferre possum, quae sententiam modo dictam affirmatura esse spero, Clavum scilicet et Elephantiasim. Clavi producuntur, ut novimus, compressione, quam digiti pedum caligis angustioribus, quam jus est, patiuntur. Cernuntur tubercula cornea in latere externo digiti minimi, aut in dorso omnium pedis digitorum. Haec tubercula, quae Pigne ope microscopii investigavit, duabus partibus composita sunt. Una superficialis est sicca pelluciditate carens, ex corneis lamellis constat, quae per strata ordinatae sunt, facileque una ab altera disjungi possunt, imprimis, si pediluvio molliores factae sunt. In hac parte superficiali nulla organica structura animadvertitur. Altera, quae plus in profundum tendit, pellucidior per cutem, usque ad tendines, ligamenta, neque raro ad ossa

perrumpens, structuram veram, si microscopio adspexeris, ostendit et vasorum magno numero nutritur, quae se vidisse Brechet testatur. Videmus igitur organa, quae antea in digitis locum tenuerant, aut omnino aut maximam partem disparuisse, in quorum loco metamorphosi cutis et telae cellulosae aucta epidermis posita est. Aliud exemplum attulimus Elephantiasim, morbum in Europa non domesticum, cui nomen illud jam ab antiquis medicis ob eam caussam inditum esse Aretaeus dicit, „quia morbo et ferae elephanti multa communia essent.“ Est enim epidermis in tantam crassitudinem cum fissuris conjunctam aucta, ut tegimento elephanti non dissimilis cernatur. Omissis ceteris symptomatibus hujus morbi ea solum afferre volumus, quae ad rationes nostras apta esse videantur, mutationes epidermidis et organorum ei propinquorum. Alard et Gaultier, qui cadavera hoc morbo mortuorum permulta obduxerunt, quae ab ipsis reperta sunt, litteris tradiderunt: ubique telam cellulosam induratam et degeneratam, epidermidem in enormem magnitudinem crassiorem factam, musculos decolores, flavos et in il-

lam materiam commutatos, quam Pathologi adipociren nominaverunt, vasa sanguinem adducentia minora, venas invias, ossa tenuiora, friabiliora, fragiliora et in universum omnia organa male nutrita et deminuta invenerunt. Quae quum ita sint, nihil impedit, quominus praejudicemus, tantum abesse, ut compressio, quae a nonnullis medicis in hoc morbo commendata sit, utilitatem praebeat, ut damnum summum afferat. Videmus igitur hanc degenerationem epidermidis, quae hypertrophia esse videbatur, nihil habere commune cum ea, sed effici atrophia et degeneratione aliorum organorum, neque atrophiam semper cum deminutione voluminis conjunctam esse. Restat denique, ut de mutatis eorum functionibus disseram. In rerum natura est, has mutationes pro variis organis differre oportere. Sic musculorum mobilitas, nervorum vis sentiendi et irritandi praepeditur. Qua cognita physiologica vi non difficile erit demonstrare, qui status morbosi indicent et vetent compressionem. Praetermissis illis casibus et morbis, in quibus compressionis mechanica vis adhibetur, ut in haemorrhagiis ad claudenda vasa, usque dum subli-

gata sint, in luxationibus et fracturis ossium, rupturis tendinum et musculorum vulneribus, ut partes dislocatae aut sejunctae in contactu maneant, in congestionibus, ut sanguis per vasa compressa difficilius in partes morbosas intret: ad istos vertamur, in quibus remedium efficacissimum et quasi specificum putanda est, ad inflammationem testiculi, ad ecchymoses, oedema, glandularum indurationem, callositatem ulcerum, carnem luxuriantem. In quibus omnibus morbis mutatio compressione effecta modo, quem jam supra annotavimus, fieri videtur. Quod enim materias novas et ad nutritionem necessarias impedit, quominus ad organa affecta adveniant, inde fit, ut sumptibus materiae nutrientes, quae jam superflua in illis organis adest, nutritio fiat, et secretione nullo modo prohibita, sanguis e vasis nimium repletis organorum inflammatorum, fibrina accumulata in glandulis induratis, fluida serosa e lacunis cellulosis in nutrimenta commutentur. Quum autem principium medendi sit, contraria contrariis sanare, jure dici potest, indicatam esse compressionem in omnibus morbis, in quibus nimia copia sanguinis, aut laxitate organorum quan-

titas materiarum nutrientium major adest, quam qua organis opus sit, exceptis quidem affectionibus eorum organorum, quorum functiones impeditae ad vitam totius corporis maxime influunt. Ita, quamquam a permultis factum est, noxium et periculosum esse videtur in hydrocephalo chronico, compressione instituta, copiam aquae intra cranium versantis deminutam velle. Nonne compressioni, caussae morbi, compressionem addimus? Nonne timendum, ne cerebrum etiam magis afficiatur, aut etiam paralysi nervorum cerebralium morbus celeriter in mortem exeat? Accedit, quod, si cerebrum aqua liberavimus, tamen offensiones, quas jam prius aqua effecerat, quae quidem sunt atrophia cerebri conjuncta cum impedita functione ejus nervorumque, qui ab cerebro oriuntur, tollere non possumus. Immo vero nonne metuendum est, ne locus, quem antea aqua tenuerat, alia substantia fixa obtineatur, cujus compressio fortior magis noceat quam aquae. Eadem fere de usu compressionis in hydrothorace, ut nonnulli medici voluerunt, dicenda sunt. Compressio externa adjuvat vim fluidi serosi in cavitate pleurae, neque mirari licet, si mors auxilio hoc inepto acceleratur. Attamen

multa exempla morborum attulisse mihi videor, in quibus nihil magis fugiendum est, quam compressio. Venimus nunc ad aliud morborum genus, in quibus compressio jure commendata alio modo vim exercet, quam in modo nominatis, in aneurysmatibus et varicibus. Superfluum est memorare, quae in explicanda anatomia et natura aneurysmatis inde a Scarpa usque ad nostra tempora disceptata sint; id solum afferre volo, nunc quidem ab illustrissimis anatomis et chirurgis sententiam approbatam esse, aneurysma oriri posse sine ruptura tunicarum cujusquam arteriae. Primus fuit Valsalva, qui compressione apte adhibita aneurysmata sanare studuit, hoc consilio, ut arteria morbosa in ligamentum mutetur, si sanguis impediatur, quominus in eam intret. Neque fefellit eum spes in nonnullis casibus, qui vero in aneurysmatibus spuriis, quae vocantur, numerandi sunt. In plerisque autem compressio eandem utilitatem attulit, quam clausio arteriae ligatura effecta, quae nunc plerisque medicis placet, nempe nullam. Etenim illud aneurysma verum non malum locale, sed ex dyscrasia generali totius organismi profectum haben-

dum est. Neque Schönlein errare mihi videtur, dyscrasiam illam carcinomatosam esse docens, multisque argumentis fisus. Quare fit, ut si in primo loco affectionis malum omnino exstinctum putes, non multo post aneurysma sedem aliam petat, et in alia arteria versans medicum, omne periculum remotum esse opinantem, fallat. Sic aegrotum vidisse memini, qui in arteria brachiali sinistra aneurysmate affectus erat. Postquam operatio ligaturae arteriae facta est, non multo post de languore artuum et respiratione laboriosa et doloribus in dorso querebatur. In mortuo caries vertebrarum et aneurysma aortae thoracicae inveniebatur, cujus irritatione et ictibus in columnam vertebralem signa spondylarthrocaces efficiebantur. Venimus nunc ad morbum, quod attinet naturam et originem tenebris obscuratum, ad carcinoma, in cujus sanatione usque ad hoc tempus medici nondum felices fuerunt, quod omnia remedia et pharmaceutica et chirurgica ludens, imperturbatum ad mortem decurrit. Non possumus mirari, quod medici, postquam omnia remedia frustra adhibita erant, neque medicamentum Hellmundi neque exstirpatio tumoris scirrhosi utilitatem ma-

gnam attulerat, tandem commoti sunt, ut compressione morbum ex organismo tollere studerent. Neque libenter fecerunt, quum compressionem caussam esse frequentissimam carcinomatis in memoria haberent. Quae quum sententia in medicorum animis plane inveterata et quodammodo immobilis esset, factum est, ut oculis jure iniquioribus experimenta eorum adspicerentur, qui quum nihil perdi posse putarent, omnia quaeque audenda statuerent. Quorum princeps Young fuisse videtur, qui contempta opinione praejudicata, tumores scirrhosos compressione apto modo instituta sanare studuit. Cujus exemplum mox Pearson aliique secuti sunt. Paene tota res neglecta erat, sive quod successus aliis ad experimenta repetenda non sufficere videbatur, sive quod auctores ipsos novae therapiae spes fefellerat, quum Récamier, vir magno ingenio praeditus, in Gallia inquisitiones accuratas magno cum studio et labore in rem adeo difficilem denuo faceret. Quatuor annis postquam incepit, experientias suas in opere (Recherches sur le traitement du cancer, par la compression methodique simple ou combinée et sur l'histoire générale de la même

maladie) divulgavit. Nobis liceat igitur paucis verbis tangere, quae memoratu digna in eo opere legantur. Numerus eorum, qui carcinomate affecti compressione methodica curati sunt, triginta est. Quorum decem perfecta sanatione gavisi sunt, aliorum quatuordecim dolores levati viresque auctae, reliquorum sex status morbosus non mutatus. Quibus experientiis Récamier confisus, has esse utilitates compressionis affirmat: dolores lancinantes sedari, volumen scirrhi deminui, neque immobilem et cum cute connatum tumorem manere, sed vi compressionis fieri, ut moveri possit et mollior sentiatur digitis. Eodem fere tempore, ait, animadvertitur, tumorum funiculos, qui ab induratis et degeneratis vasis lymphaticis formentur, eodem modo disparere, aut minores fieri. Neque tamen factum esse affirmat, ut organon antea a scirrho affectum atrophia tabesceret. Compressionem modo accurato neque violento efficiendam esse, quod ut fiat, imprimis utendum fasciis linteis aut boleto igniario supposito. Una cum compressione medicamenta interna, ut Cicutam, Jodum, Hydrargyrum adhibita esse. His argumentis id solum opponi potest, si

quidem in dubium vocare velis, auctoris officium fuisse, aegrotos post sanationem putatam observare videreque, an cancer non redierit, quo facto a compressione palliativum solum auxilium exspectandum sit. Argumentis scilicet pathologicis ostendi posse, cura locali dyscrasiam, quippe quae illos tumores provocet, amoveri non posse. Esse enim experimentis ab Langenbek juniore institutis, qui saniem carcinomatosam ex hominibus aegrotis sumptam venis animalium injecit, satis demonstratum, in pulmonibus eorum pseudoplasmata primitivis similia procreari. Quare pro certo haberi posse, nisi materia scirrhosa e sanguine sit remota, nullam sanationem perfectam putari posse. Ipsa autem compressione effici, quod jam supra demonstravimus, ut sanies carcinomatosa, qua jam organismus se liberaverit, in ipsum sanguinem redeat, itaque nova materia morbum adjuvet, caussamque praebeat, ut sedem novam sibi cancer instituat. Quamquam non errare mihi videntur ii, qui illam opinionem habent, attamen observationibus ab Récamier communicatis satis demonstratum esse puto, nullum aliud medicamentum usque ad hoc tempus

melius ad curam palliativam adhibendum esse. Id enim praecipue in judicium vocandum esse videtur, num localisatio carcinomatis, tumor ipse compressione commoveri possit, ut nutritione ipsius impedita dispareat. Quod quum multis ac gravibus testimoniis praeclarissimorum virorum firmetur, non video, cur auxilio, quamquam non omne periculum avertente, uti non fas sit? Etenim si caussam quidem ipsam tumorum, dyscrasiam carcinomatosam amovere non possumus, hoc tamen assequi possumus, ut localisatio morbi impediatur. Satis enim constat, nonnullorum morborum, quos dyscrasias vocant, per non exiguum tempus nullum vestigium apparere, quamvis nobis persuasum sit, non deseruisse eos organismum. Nonne contenti esse debemus, quum morbum insanabilem et crucem medicorum ad eum statum reducere possimus, ut satis firmis finibus circumvallatus, ne dicam vinctus, saltem praepediatur, quominus noceat.

VITA.

Natus sum ego Edmundus Moser, Berolinensis, die vicesimo tertio Martis anno hujus saeculi XIX parentibus Augusto Moser, mercatore, et matre Louisa e gente Assmussiana, quos jam mortuos esse valde doleo. Fidei sum addictus evangelicae. Primis literarum elementis imbutus gymnasium Joachimicum per octo fere annos frequentavi. Maturitatis testimonio instructus, anno XXXIX inter cives universitatis Fridericae Guilelmae a rectore magnifico Ill. I. Müller receptus et ab Ill. Schultz, medicorum ordinis t. t. decano maxime spectabili, medicinae studiosis adscriptus sum.

Per quatuor annos hisce interfui lectionibus: Ill. Mitscherlich de chemia; Ill. Lichtenstein de zoologia; Ill. I. Müller de anatomia corporis humani sani et de physiologia; Ill. Kunth de botanice; Ill. Weiss de mineralogia; Ill. Gabler de logice; Ill. Schlemm de splanchnologia et osteologia; Ill. Hecker de pathologia generali; Ill. Schönlein de pathologia et therapia speciali; Ill. Kluge de arte fascias chirurgicas rite imponendi, et de arte obstetricia; Cel. Mitscherlich de materia medica.

Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis, obstetriciis interfui virorum Ill. et Cel. Schönlein, Wolff, Romberg, Jüngken, Dieffenbach, Kluge, Trüstedt. Duces praeterea mihi fuere in operationibus in cadavere et in oculo instituendis Ill. Schlemm et Exp. Angelstein. Quos viros omnes, optime de me meritos, et

grata semper memoria et cultu prosequar sempiterno.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso coram facultate medica rite absolutis, sperofore, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

1. Scrophulosis et Tuberculosis idem est morbus.
2. Gangraena pulmonum morbus sui generis est.
3. Ex Albuminuria non semper de morbo Brightii concludendum.
4. Acidum in succo gastrico non chylificatione efficitur